

tonotarii, et praelati etiam non sit prima dignitas, debet praecedere Archidiacono primae dignitati, dummodo tunc non lucretur distributiones quotidianas; Sacra Congregatio Rituum in nullius Terrae Pisciae, 15 Jan. 1611. (100. Sed non potest uti dicto habitu in Processionibus, et in aliis actibus publicis, in quibus cum Capitulo intervenit. Sac. Congr. Rit. in Asculana 19 Novemb. 1611.

(101. Indultum jubilationis, quod est Ecclesiae odiosum, et ideo parce concedendum, non constituit de laudabili servitio Ecclesiae per 40 annos praestito, ac de aliqua commiserationis causa, puta infirmitatis habitualis, vel senectutis, quae, una cum laudabili servitio concurrere debet (1), non solet neque debet concedi, ut fuit ponderatum a Sacra Congregatione Concilii in Maceraten., indulti 8 Martii 1698, in qua indultum per subreptionem jam concessum, fuit revocatum. (102. Unde advertendum est quod ex tempore laudabilis servitii Ecclesiae quadraginta annorum, propter quod solet a Sacra Congregatione concedi indultum Jubilationis, est deducendum servitium praestitum tempore clericatus ante adeptam praebendam, quod non computatur ad favorem indultum petentis, ut respondit Sacra Congregatio Concilii in Tridentina, 13 Januarii 1603. (103. Neque valet indultum jubilationis post quadragenarium servitium, si sit concessum a capitulo, et non a Sacra Congregatione, quia Canonici non habent hanc potestatem, sicuti nec possunt concedere Canonici absentibus, quod participet de aliqua parte distributionum non obstante consuetudine, ut respondit Sacra Congregat. Concilii in Segobien., 15 Decembris 1703. (104. Concesso igitur legitime alicui Canonico a Sacra Congregatione indulto jubilationis, talis Canonici jubilatus debet participare de distributionibus, de quibus participant alii Canonici choro, et divinis interessentes, etiam de illis quae ob aliorum absentiam Canonici interessentibus accrescunt. Dicitur enim Ecclesiae per gloriam adhuc inservire, qui post diuturnum servitium, senio confectus ex licentia Summi Pontificis quiescit ad instar militis veterani, juxta text. in l. i. *Cod. de veteranis*, lib. xii, tit. 47. Et sic censuit Sac. Congregat. Concilii in Viterbien., 26 Augusti 1628, in Romana, 13 Maii 1631, in alia Romana, 19 Apr. 1692, et in Aquipendii, 13 Mart. 1697. (105. Etiamsi distributiones essent auctae post obtentam jubilationem, quia participat de augmento. Ead. Sac. Congregat. Concilii in Lunen. Sarzanen., 16 Maii 1685, in Bononien., 16 Junii 1696 et 20 Apr. 1697. (106. Indultum jubilationis concessum Canonico suffragatur pro participatione fructuum, et distributionum, etiam extraordinariorum, et d. distributiones, sunt per Canonicos restituendae a die intimati indulti. Sac. Congregat. Concilii in Burgi S. Donnini

(1) Quod asserit auctor, ad obtinendum jubilationis indultum requiri in Canonico praeter laudabile quadragenarium Ecclesiae servitium, aliam commiserationis causam, puta infirmitatis habitualis, vel senectutis, minime sustinetur. Contrarium enim apparet ex resolutione Sac. Congr. Concilii in una Feltrina jubilationis, die 11 Januar. 1721. Vid. *Thesaur. Resolut.*, tom. II, pag. 2. (EDIT. VEN.)

jubilationis die 19 Aprilis 1704, ubi propositis infrascriptis dubiis; *Primo*: « An indultum jubilationis concessum Razino sub die 29 Aprilis 1702, suffragetur pro participatione omnium fructuum, et Distributionum etiam extraordinariorum, et contentarum in Decreto bon. mem. Episcopi Pallavicini? Et quatenus affirmative. » *Secundo*: « An dictae Distributiones veniant per Canonicos restituendae a die intimati Indulti? » eadem Sacra Congregat. respondit: *Affirmative* ad utrumque. Et sic in simili jam responsum fuerat ab eadem Sac. Congr. Concilii in una Alexandrina, ubi cum dubitaretur: « An Canonici legitime ex causis absentibus, quando non amittunt proprias Distributiones quotidianas, debeant etiam lucrari, et participes esse pro rata Distributionum aliorum Canoniorum absentium absque legitima causa? et an praedicti Canonici legitima causa absentes, ac proinde non amittentes proprias Distributiones ut supra, debeant illas recuperare ab aliis Canoniceis, inter quos divisae fuerant, an etiam possint ab universo Capitulo repetere? » Sac. Congregatio, etc., die 29 Septembris 1637. *Ad primum* respondit, deberi hujusmodi Canoniceis etiam punctaturas absentiae. *Ad secundum* posse repetere etiam a capitulo.

(107. Canonico jubilato debentur etiam ea quae proveniunt ex emolumentis processionum, et anniversariorum, et aliorum, dummodo testatorum voluntas non obstet. S. C. C. in Romana 5 Martii 1678, et in Perusina, 17 Julii 1688. Et sic etiam fuerat decisum in Novarien. jubilationis, ubi proposito dubio, an frui deberent emolumentis anniversariorum, quae fiunt infra annum, quamvis iis non assisterent duo Canonici Ecclesiae collegiatae S. Gaudentii civitatis Novariae, qui a San. Mem. Clemente X, obtinuerant indultum hisce verbis conceptum: « Cum sicut exponi fecisti tu, qui in sexagesimo quinto aetatis anno constitutus, quadraginta, et amplius annorum spatio residens, Nos, etc., tibi, ut quoad vixeris, a praedicta Ecclesia abesse, ac interim omnia, et singula, fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque, nec non distributiones etiam quotidianas ordinarias, et extraordinarias quomodolibet nuncupatas, et in quibusvis rebus consistentes ac undecumque provenientes ad te ratione dicti canonicatus et praebendae, si in eadem Ecclesia personaliter resideres, ac divinis officiis singulisque diurnis, ac nocturnis horis assidue interesses, spectantes, et pertinentes, ac etiam solis praesentibus, et divinis officiis, ac horis praedictis assidue interessentibus manualiter quotidie praestari, ac per eas lucriferi solita, cum ea integritate percipere cum qua perciperes, si personaliter resideres libere, et licite possis, et valeas concedimus et indulgemus; » Sacra Congregatio die 2 Octobris

is, minime sustinetur. Contrarium enim apparet ex resolutione Sac. Congr. Concilii in una Feltrina jubilationis, die 11 Januar. 1721. Vid. *Thesaur. Resolut.*, tom. II, pag. 2. (EDIT. VEN.)

1677, respondit: *Affirmative*. Verum cum postmodum sub die 1 Julii 1679, in una Bituntina anniversariorum quaesitum fuisset: « An vigore indulti similis jubilationis Canonici jubilatus percipere valeret perinde ac si choro personaliter interesset, emolumenta anniversariorum? » eadem Sacra Cong. *negative* resoluit. Hinc caeteri Capitulares praedictae Ecclesiae S. Gaudentii freti hac postrema resolutione, iterum obtinuerunt proponi dubium: « An Canonici jubilati vigore praefati brevis frui debeant emolumentis anniversariorum, quae fiunt intra annum, quamvis non assistant, ita ut standum, vel recedendum sit a decisio? » Et Sac. Congregatio sub die 29 Novembr. respondit in decisio quoad Anniversaria fixa, et in quibus non est cautum? Et sic etiam in Romana Jurium Canonicalium 5 Martii 1703, in qua ad dubium: « An indultum vacandi a choro aliisque divinis officiis ex causa infirmitatis concessum, valet etiam pro laudemis, quindenis, capitulis, anniversariis, festivitibus, processionibus, ac quibuscumque functionibus in Ecclesia peragendis, ita ut lucrari debeat omnia emolumenta communia nuncupata, ac etiam victualia, et candelas? » respondit: *Affirmative* etiam quoad laudemias, exceptis anniversariis, et aliis obventionibus non fixis, et in quibus diversimode fuerit a testatore dispositum; » quae etiam confirmata fuit die 20 Junii 1705.

(108. Ex quibus omnibus, et aliis adductis in verb. *Anniversarium*, n. 8, 9 et 10, satis constat, quod indultum quantumcumque amplum non comprehendat anniversaria non fixa, et corporaliter interessentibus a testatore relicta, nisi in indulto sit expressa voluntas Papae, testatoris menti clare derogantis, et etiam talia anniversaria indultario explicite indulgentis. (109. Anniversaria autem fixa, et alia similia, in quibus non adsit contraria dispositio testatoris, et fundatoris, participantur ab indultariis, ac si personaliter interessent, quamvis functionibus vere non intersint, et onera missarum aliis juncta, pro rata non adimpleant. Sacra Congregat. Concilii in Lunen. Sarzanen., 16 Maii 1685, in Urbanien., 29 Novemb. 1687, et in Romana Jubilationis, 24 Martii 1703, ubi proposito dubio: « An jubilato debeantur emolumenta processionum, etsi illis non interfuerit? » respondit: *Affirmative*. (110. Canonici jubilati non tenentur neque per se ipsos, neque per alios Missam conventualem per turnum celebrare. Sac. Congregat. Concilii in Aquipendii, 27 Martii 1697. (111. Episcopus non potest discernere quod Canoniceis jubilatis vigore indulti non debeantur distributiones extraordinariae, quae vel ob absentiam, vel vacationem Canoniceis interessentibus accrescunt, nam pro his indultum suffragatur S. C. C. in Romana, 5 Maii 1703, et in Burgi S. Donnini, 19 Apr. 1704.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(112. Constitutio pastoralis S. Mem. Benedicti XIII, tametsi jusserit, « aut Praebenda

primo vacatura post ejusdem praesentis Constitutionis publicationem, sive ad Nos Sedemque Apostolicam, sive ad ordinarium illius collatio, atque provisio pertineat, ipso jure, et absque ulla declaratione, sit atque esse censeatur praebenda theologalis: » nihilo tamen minus si Episcopus non devenierit ad ipsius erectionem in theologalem, minime ea habetur pro erecta in theologalem. (113. Idque procedit sive de collegiata, sive de cathedrali agatur, ut respondit Rota in Sorana Canonicatus 8 Martii 1745, § 10, et sequent. coram R. P. D. Canilliac.

(114. Poena autem Episcopi, qui non erexit canonicatum primo vocatum in theologalem, est ejus devolutio ad Sanctam Sedem. (115. Caeterum non prohibetur idem Episcopus alium secundo, vel tertio, etc., vacatum in theologalem erigere, ut prosequitur idem supremum tribunal in d. Sorana Canonicatus, 8 Martii, § 12, cor. R. P. D. Canilliac.

(116. Quaestionis autem est, num Episcopus attenda dicta Constitutione canonicatum reservationi obnoxium erigere queat in theologalem? (117. Huc etiam pertinet quaestio illa an Episcopus, spectata pariter eadem Constitutione, unire valeat canonicatum theologali simplex beneficium reservatum? (118. Vide Rot. in Bitecten. Beneficiorum, 14 Januarii 1732, § 5, cor. Eminentissimo Rezonico, et in Monopolitana Beneficiorum, 2 Decembr. 1737, § insuper et sequent. cor. bon. mem. Peral. impress. apud Barbiellini in fol., tom. II, 1783.

(119. Canonicatus theologalis ex saepe dicta Constitutione conferri debet per concursum. (120. In eo autem intervenire debent quatuor examinatores. (121. Notandum autem hic est, quod si examinatores sint synodales, non debent praeterea esse in theologica facultate licentiatii. Sin autem synodales minime sint, necessario licentiatii in theologica facultate esse debent, ut ipsam Constitutionem interpretando magistraliter, respondit Rota in Imolen. Canonicatus Theologalis 2 Aprilis 1743, § 5, et plur. seqq. coram Illustrissimo Molino, (122. ubi quod, si non servetur forma conferendi a dicta Constitutione praescripta, locus sit devolutioni ad Sanctam Sedem.

(123. Et, quod majorem animadversionem mereretur, electio personae post dictam Constitutionem non amplius pertinet ad Episcopum, sed ad ipsos examinatores, ut resolvit Sacra Congregatio Concilii interpres in Salernitana Canonicatus Poenitentiarum, 1 Sept. 1753.

(124. Num canonicatum theologalem obtinere possit, qui non in theologia, sed in jure canonico doctor sit? *Quum hodie* (ita opposite inquit Sanctissimus Dominus Noster Benedictus XIV, de Synod. Dioces., lib. 13, cap. 9, num. 17.) « haec facultates tamquam ab invicem distinctae diversa ratione tractentur, et magisteria seorsim conferantur, statueritque Concilium, ut is Canonicus Theologus eligatur, qui in Sacra Theologia sit Doctor, merito a Sacra Congregatione responsum fuit, ad consequen-

dam Præbendam Theologalem generaliter loquendo satis non esse, ut quis in jure Canonico Doctoris gradum adeptus fuerit, in casibus tamen particularibus videri posse, an expediat eandem Præbendam alicui Sacrarum Canonum Magistro conferre, qui scilicet cum Juris Canonici lectione, ea quoque conjungere valeat, quæ pertinent ad Theologiam moralem. » Consule eundem *SS. Institut. Eccles.* 67, num. 4, et plur. sequent.

(125. Quod attinet ad munus Canonici theologi, recte idem Summus Pontifex in *Synod.* die. lib. XIII, die. cap. 9, dict., n. 17, inquit: « Decretum illud Tridentini Concilii, sive ejus verba considerentur, sive ratio habeatur praxis et consuetudinis sequentium temporum, æque comprehendere Scripturarum Sacrarum expositionem, ac theologiæ scholasticæ disciplinam, et a Canonico theologo non magis suo muneri satisfieri, si Sacra Scripturæ libros explicet, et declaret, quam si in theologia scholastica clerum erudiat, dummodo hæc talis sit, qualem Melchior Canus tradendam, addiscendamque suadet, in suo lib. VIII, de *Locis Theologicis*, cap. 1, et quidem nos etiam indicavimus in nostra Institutione 42, quæ scilicet circa quæstiones gravis momenti, et utilitatis versetur, easque pertractet allatis Divinæ Scripturæ testimoniis, conciliorum decretis, et Patrum auctoritatibus, ulterius adnotavimus, nonnullorum Episcoporum mandato laudabiliter factum esse, ut per Canonicum theologum ea traderetur theologia, quæ est de conscientia, et moribus dirigendis, id unum vero minime decisum fuisse, num juxta Concilii mentem Canonici theologus suum munus satis adimpleat, si explicando juri canonico operam præstet. »

(126. Quæ de Canonico theologo dicta sunt usque ad n. 11, ea locum itidem sibi vindicant, quoad Canonicum penitentiarium.

(127. Alia de Canonico penitentiarium, vide apud Benedictum XIV. *Inst. Ecclesiast.* 107, § 9. (128. De Canonico jubilato consule Scarfant. in animadvers. ad Ceccoper, lib. 1, tit. VI a n. 8, ad n. 10, ubi illud valde notabile num. 20, quod si Canonici post obtentum indultum jubilationis ex causa servitii præstiti Ecclesiæ per quadraginta annos provideatur de novo canonicatu, seu dignitate in eadem Ecclesia, licet reputetur novus Canonici, noviterque receptus, ita ut in choro, et in aliis actibus ei debeatur locus canonicatus noviter obtenti, (129. nihilo tamen minus haud indiget novo jubilationis indulto, sed vigore jam obtenti lucratur fructus, et distributiones secundi canonicatus, quia adhuc durat causa, pro qua fuit concessum.

#### ADDITIONES CASINENSES.

(130. Constat apud omnes scholas Theologicas in Ecclesia olim fuisse; in primis celebratissima fuit schola Alexandrina, in qua Pautenus, usus iis magistris qui Apostolos viderant, auditorem habuit Clementem Alexandrinum vulgo dictum, cujus Origenes discipulus fuerat, et postea in *schola Catechetica*, ut dicit Photius, successor. Vide

Phot. *Biblioth. c. de Pamphilo martyre.* Nicetas autem refert lib. V, *Thes.* c. 1. Arium Alexandrini Gymnasii præfectum fuisse. Doctissima quoque exstitit schola Antiochena, in qua, ut scribit S. Hieron. lib. de *Eccles. Script.* Lucianus presbyter doctissimus interpretatus est Sacram Scripturam. Hinc Arius epistola ad Eusebium Nicomediensem ipsum *σπουδαισιωτικῶν* nominat. Nicephor. *Hist. Ecclesiast.*, l. VIII, c. 9. Syri Christiani quoque scholam apud Nisibin habuerunt, quam commemorat Jul. African. *Præf. et Epistola ad Primasium.* In Occidente vero scholæ in Episcopis erant duplicis generis, aliæ pueris assignatæ, aliæ presbyteris et clericis. Schola presbyterorum theologica appellari potest, nam sic illam explicat Concil. Cabilonense, c. 3. « Oportet etiam ut, sicut Dominus Imperator Carolus præcepit, scholas constituent, in quibus, et litteraria solertia disciplinæ et Sanctæ Scripturæ discantur, et tales erudiantur, quibus merito dicatur a Domino, Matth. 5: *Vos estis sal terræ*, et qui condimentum plebibus esse valeant, et quorum doctrina non solum diversis hæresibus, verum etiam *Antichristi* monitis, et ipso *Antichristo* resistatur, ut merito de illis in laude Ecclesiæ dicatur Cant. 4: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* » Eadem habet Conc. Valent. sub Lothario Imperatore, c. 18. Sed clarissimam imaginem hodierni Canonici theologi exhibet canon 33. Concilii Meldensis sub Carolo Calvo: « Quisque Episcopus, hæc sunt canonis verba, pro viribus, talem juxta se habere decertet, qui juxta sincerissimum et purissimum sensum catholicorum Patrum de fide et observatione mandatorum Dei, seu et prædicationis doctrina presbyteros plebium assidue instruat et informet. » Unde legimus, *Capit.*, lib. VII, c. 163. statutum esse, « ut omnes presbyteri parochiæ, scilicet *Dioceseos*, ad civitatem per turmas, et per hebdomadas ab Episcopo sibi constitutas conveniant descendendi gratia, ut aliqua pars in parochiis presbyterorum remaneat, ne populi et Ecclesiæ Dei absque officio sint, et aliqua pars utilia in civitate discant; ibi ab Episcopo in civitate, sive a suis bene doctis ministris bono animo instituantur de sacris lectionibus, et divinis cultibus et Sanctis canonibus, sive de baptismatis Sacramento atque Missarum solemnibus, et precibus, et de reliquis omnibus officiis, etc. »

(131. Quamvis compertum sit omnibus, penitentias indicere, augere, minuere, condonare, proprium esse Episcoporum, uti confirmari potest ex Conc. Ancyran., c. 3. Arelaten. 2, can. 10. Milev. c. 23. Aurelianen. 4, can. 8, hi tamen privatas penitentias indicendi curam presbyteris concesserunt, solemnes sibi servarunt. Sed cum postea, et publice penitentium numerus crevisset, cumque Episcopi variis et publicis negotiis alias essent intenti, selectis quibusdam et bonæ notæ presbyteris publice penitentium reconciliationem commiserunt; qui ideo penitentiarum dicti sunt. Quamvis autem Sozomenus, lib. IX *Hist. Eccles.*, cap. 33, et Socrates lib. V *Hist. Eccles.*, c. 19, referant

in Orientali Ecclesia presbyteros, qui penitentis præerant a Nectario amotos fuisse, tamen paulo post restituti fuerunt, uti colligi potest ex Balsamone in c. 48, *Epist. 1, B. Basilii ad Amphilochem*, atque ex c. 103, *Conc. Trullan.*

#### ARTICULUS X.

Quoad ea quæ concernunt *coadjutorias, Canonicos coadjutores, et coadjutos.*

(1. Coadjutoria fuerunt inventæ principaliter ne Ecclesia ob impedimentum coadjuti suo defraudetur servitio. Rota R. part. III, recentior. dec. 392, num. 1, part. V, tom. II, dec. 602, num. 2, cum sequent., part. VI, dec. 36, num. 2. (2. Et ideo permittuntur tantum ex causa necessitatis, vel evidentis utilitatis Ecclesiæ. Rota part. I, dec. 276, num. 1, part. VI, dec. 20, n. 7 et 11, p. 16, dec. 112, num. 7, 25 et 28. (3. Ita ut Papa concedendo coadjutoriam censeatur principaliter motus propter dictam necessitatem, et utilitatem Ecclesiæ. Rota part. VII, dec. 313, num. 20 et 24, et dec. 253, num. 10, cum sequent. (4. Licet secundario videatur voluisse coadjutori providere de beneficio, præveniendi tempus vacationis, quæ per obitum coadjuti est successura. Rota part. VII, dec. 253, num. 19, cum sequent. et dec. 313, num. 21. (5. Dicta autem causa debet a Sanctissimo diligenter cognosci. Rota p. 16, dec. 112, n. 5. (6. Unde quamvis Concilium Tridentinum sess. 25, de *Reform.*, cap. 7, vers. in *Coadjutoriis*, statuerit, ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permittentur perpetuæ et irrevocabiles coadjutoria cum futura successione cum præcis his verbis: « In coadjutoriis quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permittantur, » tamen exinde, propter supradictam causam, multæ fuerunt a Summis Pontificibus concessæ, et adhuc in dies conceduntur coadjutoria cum futura successione in dignitatibus, canonicatibus, et portionibus cathedralium, et collegiarum a solo scilicet Papa, et non ab alio, quamvis sit Legatus, seu Nuncius ut per Gonzal. ad Regul. 8 Cancell. gloss. 5, § 9, num. 91. Nicol. Garc. de *Benefic.*, part. IV, cap. 5, num. 19. Monet. de *Distributionibus quotidianis*, part. II, quæst. 1, n. 33. Paris., de *Resignat.*, lib. VI, quæst. 5, num. 15, et lib. VII, quæst. 20, num. 14. (7. Ut tamen excludatur votum captandæ mortis, super quo est fundata reprobatio expectatarum; cap. *Detestanda 2, de Concession. Præbend.* in 6, pro obtinenda coadjutoria exigitur consensus, et requisitio coadjuti. Rota part. VII, dec. 313, num. 27, et part. XVI, dec. 112, num. 33. (8. Qui consensus adnotari debet in libris publicis Cameræ, vel Cancellariæ. Rota part. 18, tom. I, dec. 108, num. 12. (9. Et pro ipsa coadjutoria obtinenda requiritur etiam consensus capituli, qui sufficit, quod datus sit a majori parte capituli. Rota part. VI, dec. 20, num. 9. (10. Et insuper ad obtinendam coadjutoriam requi-

runtur litteræ commendatiæ Episcopi, vel capituli super qualitatibus Coadjutoris, et indigentia Ecclesiæ, licet plerumque hujusmodi litteræ emendicatis favoribus extorqueantur. Rota part. XVI, dec. 112, num. 17. (11. Coadjutor, vivente coadjuto, non est vere Canonici, sed dicitur fictus Canonici, et beneficiatus. Rota part. XIX, tom. II, dec. 667, num. 12, et Sac. Rituum Congreg. in Conimbrien. 16 Septemb. 1606. (12. Et repræsentat tantummodo Canonici, et beneficiatus. Rota part. XIX, tom. II, dec. 667, num. 13. (13. Unde Coadjutor efficitur vere Canonici solummodo post mortem coadjuti. Sac. Congreg. Rituum in Trullen., 21 Martii 1609. (14. Coadjutor enim, vivente coadjuto, sedere debet in ultimo loco post omnes Canonicos, et quando facit aliquas functiones, quæ pertinent ad suum coadjutum, ut cantare lectiones, præintonare antiphonas, etc., debet illas facere in novissimo loco. Sac. Congr. Rit. in Conimbrien., 16 Septembr. 1606, in Patavina, 3 Decemb. 1616, in Brundus. 18 Mart. 1617, in Casalensi, 15 Julii 1617, in Vicentina, 18 Augusti 1618, in alia Casalen., 10 Decemb. 1619, et in Elven., 2 Maii 1620, et Sacra Congr. Conc. in Casalen., 13 April. 1690. (15. Et sic non debet Coadjutor gradatim ascendere, sed post omnes sedere, non obstante Statuto in contrarium disponente. Sacra Congr. Rituum in Casalen., 18 Decemb. 1618, et in Elven., 7 Augusti 1622. (16. Excipiuntur tamen Coadjutores dignitatum, qui idem prorsus stallum obtinere debent, quod obtinerent sui coadjuti, si præsentibus essent, et præcedunt Canonici, et dignitatibus inferioribus. S. C. Rit. in Neritonen., 22 Octob. 1619, et in Brundusina, 29 Maii 1621. (17. Coadjutor in absentia coadjuti præcedere debet Curatis, Plebanis, et Prioribus Ecclesiarum parochialium, sicut præcedunt veri Canonici. Eadem Sacra Congr. in Pistorien., 15 Martii 1618. Rota part. XIX, tom. I, dec. 99, num. 1. (18. Coadjutor, vivente Coadjuto, stante divisione Canonicatum in Ecclesia cathedrali in ordines subdiaconales, et presbyterales, et stante quod Coadjutor sit Coadjutor Canonici presbyteri, installandus est ultimo loco in ordine presbyterali. Sac. Congr. Rit. in Monopolitana Primitivæ, 17 Julii 1732, in Æsina, 4 Martii 1644, in Januensi Stalli, 14 Augusti 1665.

(19. Imo, ubi præbendæ sunt distinctæ, præcedentia super Canonicos ordinis diaconalis, et subdiaconalis debetur Coadjutori Canonici coadjuti ordinis Presbyteralis, quamvis Coadjutor nondum sit sacerdos, sed in minoribus tantum ordinibus constitutus. Sac. Congr. Rituum in Æsina, 31 Maii 1670. (20. Et præcedentia debetur ipsis Coadjutoribus Canonici altiorum Ordinum super Canonicos inferiorum ordinum, etiam præsentibus suis coadjutis, et per se ipsos inservientibus. Sac. Congreg. Rit. in Æsina, ubi cum quæsitum fuisset: « An præsentibus coadjuto Diacono, et per se ipsos inserviente, illius Coadjutor Diaconus debeat in choro, et functionibus ecclesiasticis stare